

et unum et tres quadrantes, et unam aream, alios duos mansos cum totidem iugeribus et area in parvo Syersleve simili omnino libertate expeditos ecclesie memorate tradidimus perpetuo possidendos. Sane sciendum quod mansi, quos ab ecclesia nostra in Syersleve iam dicta recepit ecclesia, ante hanc commutationem fuerant censuales et iure censuali Erlewinus de Vmmendorp et Burchardus de Syersleve a nostra ecclesia tenuerunt duodecim solidos annis singulis de utroque persolventes, quos videlicet mansos suprascripta ecclesia a prenominate duobus, Erlewino scilicet et Burchardo, precio quatuordecim marcarum redemit et sic iuri suo, quod in eisdem mansis habuerant, cum heredibus suis renunciantes liberos nobis resignarunt, quos postmodum, ut dictum est, in liberam proprietatem ecclesie memorate contradidimus. Ne autem huius rei tam rationabilis ordinatio de conivencia utriusque partis approbata temeraria presumptione a quoquam in posterum valeat inmutari, presentem paginam in memorate transactionis evidens testimonium editam testibus subnotatis sigilli nostri et ecclesie appositione roboramus. Testes vero sunt hii: Ericus prior, Arnoldus cellerarius, Gero hospitalarius, Otto custos, Iohannes capellanus et totus ecclesie nostre conventus; laici vero: Bertrammus de Swaneberge, Tidericus et Ludegerus fratres de Weddinge et Heinricus filius Tiderici, Ekkehardus de Stekelinberch, Iohannes et Conradus fratres de Haldegestorp, Martynus de Borne, Conradus de Domensleve, Burchardus de Dodelige, Heinricus de Mizstede et alii quam plures.

Acta sunt hec anno gracie MCCXXXIX, indictione duodecima.

*Aus dem Original im Herzogl. Landeshauptarchive zu Wolfenbüttel mit dem anhangenden Convents- und Abtssiegel. — S. die Abbildung des Abtsiegels in der 3. Anlage.*

1240.

102.

*Konrad, Abt zu Marienthal, verkauft dem Kloster Berge 12 Morgen in Hermsdorf zum freien Eigenthum.*

Conradus miseratione divina abbas in Valle sancte Marie omnibus presentem paginam inspecturis salutem in domino. Stili officio posteriorum notitie transmittuntur que rationabiliter ordinata fuerint a modernis. Noverint ergo tam presentes quam posteris, quod nos conventus nostri mediante consensu ecclesie montis beati Iohannis baptiste in Magdeburg duodecim iugera in Hergerimmestorp sita ab advocatia et quolibet iure seculari expeditam liberam proprietatem pro septem marcis albi argenti vendidimus, quod scilicet argentum pro decimis quibusdam, quas ecclesie nostre comparavimus, duximus expendendum. Ne autem hunc contractum tam rationabiliter confirmatum tergiversantium astutia quisquam in posterum valeat retractare, presentem paginam super hoc editam testibus subnotatis sigilli nostri appensione communimus. Testes vero sunt hii: dominus Bertrammus abbas eiusdem loci, Ericus prior, Fridericus subscriptor, Arnoldus cellerarius, Otto custos, Iohannes ca-